

Dissertatio de medici institutis ... / [Thomas Blackburne].

Contributors

Blackburne, Thomas, 1750-1782.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1775.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mm3yw2rk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

1289//P
D I S S E R T A T I O
D E
M E D I C I I N S T I T U T I S .

Q U A M ,
A N N U E N T E S U M M O N U M I N E ,

E x Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D . G U L I E L M I R O B E R T S O N , S . S . T . P .
A C A D E M I Æ E D I N B U R G E N Æ P RÆ F E C T I ;

N E C N O N

A m p l i s s i m i S E N A T U S A C A D E M I C I c o n s e n s u ,

E t n o b i l i s s i m a e F A C U L T A T I S M E D I C Æ d e c r e t o ;

P R O G R A D U D O C T O R I S ,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S E T P R Í V I L E G I A S
R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ;

E r u d i t o r u m e x a m i n i s u b j i c i t

T H O M A S B L A C K B U R N E ,
A N G L U S .

S o c . M e d . E d i n . S o c .

Χερὶς ὅστις μελλει ἀπέρικης ζυνεστίν απρεκέως ἄρμοζεσθαι,
ταῦτα δὲ μην επιβολογ γενεσθαι; Φυσιος, διδασκαλινης, παιδομα-
νινης, τοπου ευφυεος, φιλοπονητης, χρονου. Hippoc.

Prid. Id, Sept. hora locoque solitis.

E D I N B U R G I :
A p u d B A L F O U R e t S M E L L I E ,
A c a d e m i a e T y p o g r a p h o s .

M D C C , L X X V .



CAROLO DUNANT, M. D.

CIVI GENEVENSIS,

ET AMICITIAE,

SACRUM.

жантическии оловян

ГАИЗУЭИАД 1713

М. Г. ТЮЗИМСКАЯ

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

DISSESSATIO MEDICA,
DE
MEDICI INSTITUTIS.

DOCTORATUS honorum petidores, cum
in hac differendi palaestra jam sudan-
dum est, legi Academicae parum se satis-
facturos esse putant, nisi gravem aliquam
materiam de media medicina sumant sibi
tractandam. Hi quidem recte agunt, cum
studiorum, in quibus versantur, curriculum se-
quentes, hujusmodi indiciis, ingenii sui vires
et pulchros processus optime testantur, et
diligentiae suae laudes ita sibi honestissime
comparent.

Mihi vero, cui quoniam ferus ad hoc studium accessi, omnia percurrenda, paucis in-

A cum-

cumbendum effet, cui tempore excluso, nullam nostrae scholae doctrinam investigationi satis accuratae subjicere licuit, aut subjectam adeo devincere et domare, ut argumentis stabilire, objectorum argutiis expedire, experientia illustrare, vel omnino patrocinium quale clientela postulet, opusculo meo praebere me posse sperem, ut aliam fas sit insistam viam.

Illa igitur ampla et uberrima segete quasi necessario cedenti, quid restat, nisi ut generale quoddam et latius argumentum, nec a remedica alienum suscipiam, satis plenum laboris fructum percepturus, si dissertationem proferam, quae critici manum agnoscat, et corrigentis maculis superbiat, dummodo neque inconcinna omnino, neque materiae dignitati inepta, neque legentibus plane injucunda, evadat.

Haec mecum reputanti spes optima successus arrisit, si medici, qualis doctrina, qualis moribus et ingenio debeat exhiberi, institutionem perlustrans, ita artis nostrae dignitatem vindicassem, obtrectatorum cavillationibus

tionibus respondisssem, et calumnias multorum effutitias ita refutassem.

Obganniunt enim maledici, quasi nulla disciplina instructi, nullo cultu aut scientia ornati, sed veste solum nigra, larvaque severa induiti, audacem medicastriam plerique sectemur: Perpaucos ejusmodi reperiri posse credo et spero; si qui sint, istos abnegare et repudiare, bonos peritosque medicos a foece ista Romuli segregare, pellem detrahere, omnes denique, ut eos caveant, jubere, nostri sit opus libelli.

Maxime ergo propositum nostrum illa ratio explebit, quae, historia medicinae breviter praemissa, et variis ejusdem fundamantis, chemia, anatomia, botanice, linguis, atque philosophia, quibus innititur et continetur, summatim expositis, ex his * medici officium erga aegros, aegrorum amicos, erga se,

* Δει δε τον ιατρον, ου μενον, οινοτον παρεχειν τα δεοντα ποσεοντα, αλλα κας τον νοσεοντα, κας τους παρεοντας κας της εξοθεν.

se, et erga omnes multiplex, grave, atque arduum deducat et evincat, indoctos ab arte excludat, et quasi foras eliminet; quae denique ea, quae quantum tyroni licuit perspicere, ad artem imperfectam adhuc promovendam pertinent, exhibeat.

Cum vero ad incepti difficultatem prospiciamus, terret res ipsa magna atque vasta, terret tenuitatis nostrae conscientia; si autem lectores, ingenii facultates, quae parum penes nos sunt, non laborem auctoris et industriam operi deesse arbitrentur, si quod potuit, magis quam quod voluit, spectent, non est cur de se desperet vel de causa.

Ex quo per bellum decenne Trojanum primitias medicinae rudes exercuerant*, Podalyrius et Machaon, Aesculapii filii, quos vulnera ducum ferro et medicamentis sanaviſſe ab Homero accepimus; per annos plus quam 700, usque ad Hippocratem, lux fere nulla rerum medicarum, eademque tenuis et obscura, nobis affulſit, nulla certior memoria tradita nobis innotuit: Quanquam aliter rem fore

* A. M. 2756.

fore expectandum esset, dum eaedem morborum causae semper exstiterunt, dum “In-
“juriae et vicissitudines inevitabilis semper-
“que necessarii aëris; alimenti natura et po-
“tulenti; corporum irruentium vis; actio-
“nes vitae, fabrica denique compagis hu-
“manae effecerunt coevas mortalibus aegri-
“tudines, quamdiu ea qua nos lege vitam
“egerunt *.”

Cum igitur doloribus, morbis, et ipsa morte, nulla hominum aetas unquam vacavit, cum dolores evitare, imminentes avertere, immisso tollere ac levare, vitam denique illaefam conservare, et ad ultimum protrahere, vis insita naturae cunctos mortales perpetuo urget; unde fit, ut ars medendi, omnium vetustissima et honestissima, tam sero et quasi claudicante pede ad nos accesserit, et non caeteras omnes processu et fructibus longe anteierit? Id autem non amplius mirandum judicabimus, si paupertatem veterum et simplicitatem priscam, nulla debilitatam

* Vid. Boerh. inst. § 3:

tatam desidia, nullo luxu enervatam reminiscamur : Hinc morbi pauci, corpora viorum labore et temperantia dura atque robusta ; vis naturae medicatrix contra morbum fortis atque valens ; remedia naturam adjuvantia tam simplicia, tam pauca, tam ad manum, tam omnibus nota, ut sedulo posteris tradere, ut monumentis mandare, aut inutile, aut nullum operae pretium rependere judicaretur.

Eum medicinae statum naturalem vocationem, cum ea sola remedia quaerebant aegroti, quae aut casus fortuitus indicaverat, aut impetus animi appetiverat, aut natura saepe sua sponte medendo monstraverat ; et quae ex herbis imprimis petita esse verisimile est, quarum alias vulnerum dolores reprimere, alias inflammationis ardorem compescere et aestum sedare posse putaverunt. Experiencia casu genita usu adolevit. “ Casu notarunt aegrorum, qui sine medicis erant, alios propter aviditatem primis diebus protinus cibum assumpsisse, alios propter fastidium abstinuisse ; levatumque magis eorum morbum

bum esse qui abstinuerant. Itemque alios in ipsa febre aliquid edisse, alios paulo ante eam, alios post remissionem ejus. Optime deinde iis cessisse, qui post finem febris id fecerint. Eademque ratione alios inter principia protinus usos esse cibo pleniore, alios exiguo; graviores eos factos esse, qui se implerent *.” Quorum omnium cum optima quaeque et saluberrima ipsa docuisset experientia, ita aliquantulum promotam empiricen intelligimus.

Ex his exordiis ars medendi in manus sacerdotum, hominum illius seculi non doctissimorum solum, sed ingenii etiam astutissimi, pervenit, Augurum scilicet, Magorum vel Druidarum, qui lucrum, cuius odor bonus ex re qualibet, timores hominum et superstitionem fortiter occupando, (id quod facile fit, ubi de vita et salute agatur), item famam et venerationem tuto sibi comparabant: Illi vero, quos, quamquam cupidissime voluissent, plurima ac multifaria religionis literarum-
que

* Vid. Cels. lib. 1.

que studia, quo minus hanc artem colerent, prohibuissent, imperitiam suam carminibus, aliisque hujusmodi infinitis praestigiis, saepe tegebant. Temeraria quidem haec omnia ; sed quae aegrotantibus, etiam ubi cum periculo tentantur, desideratissimae sanitatis sponfione facile persuadentur ; adeo blanda est sperandi pro se cuique libido.

Deinde sacerdotes Æsculapii, qui ob præclara in primordiis medicinae facinora in numerum Deorum receptus erat, aegrotis sibi in templo allatis, pauca aut fama cognita aut usu remedia subministrabant.

Postea philosophi in Graecia exorti majore studio literarum cultum agitare coeperunt, quod, quo magis animum exercendo roborat, eo magis corpus desidia elanguens debilitat. Primoque medendi scientia sapientiae pars habebatur, ut et morborum curatio, et rerum naturalium contemplatio, sub iisdem auctoribus nata sit. Scilicet medicinae ope maxime egentibus, qui corporum vires inquieta cogitatione nocturnaque vigilia minuerant. Igitur multos philosophorum

rum hujus sibi tam necessariae artis peritos fuisse accepimus; ex his autem sui temporis clarissimos Pythagoram, Empedoclem, et Democritum.

In principibus eorum eminent Pythagoras, cuius in mathematicis pervagata sunt egregia inventa, et adeo praedicata fuit medicinae peritia, ut “peragrasse ipsum civitates, non docendi, sed medendi causa” diceretur *.

Discipuli ejus Empedoclis, cui multa in anatome detecta ab Euſtachio tribuuntur, historia idem declarat. Cognitione ille rerum naturae ad morborum causas investigandas removendasque ductus, magno beneficio Selinuncios affecit: “Quos cum circum alluentis fluvii vitio et putore invaferat lues, duos ille vicinos amnes in hunc derivari jussit, quo pacto, concitato flumine, et purgato alveo, dulcescabant paulatim aquae, et graffari desit pestis †.”

Maxime vero medicinam ornavit et auxit

B

Cous

* Ælian. Var. hist. lib. 4. cap. 17.

† Diog. Laert. lib. 8. segm. 70. Diff. inaug. a Farr.
1755.

Cous ille magnus Hippocrates, Democriti aequalis, qui primus hanc a caeteris scientiae partibus se junxit; cuius merita Boerhaavius in prolegomenis ita laudat: “Horum quidem omnium,” doctrinae videlicet sui temporis, “pulchre gnarus, suisque simul sapiens observatis, bona quaeque adunando corpus medicinae Graecae conflavit, meruitque primus veri nomen medici; quippe qui *εμπειρία* et *αναλογία* instructus, castaeque *σοφίας* peritus, medicinam omnibus conflavit seculis *δογματικην.*”

Ex hoc tempore nova rerum facies orta est. Medicina e tenebris jam primum emergens, et vinculis superstitionis liberata, locum inter artes sibi proprium vindicat, facultates suas et vires ostendit. Adolescenti jam per experimenta medicinae comitem se ratio dedit: “Ea differere de repertis remediis coepit; morborum causarumque notitiam investigare; post haec etiam naturalium actionum, novissime partium interiorum*.”

His

* Cels. lib. I.

His temporibus, inter professores magna dif-
fensio exorta est, ex utro duorum fontium,
Empirices scilicet, an Dogmatics, felicior
proflueret medicinae praxis; et quod semper
fieri solet, ubi libere disputandi locus detur,
ut eruatur error, veritas stabiliatur; ita ex
hoc discidio tandem evenit, ut vires non ex-
iguae ad scientiam nostram acceſſerint.

Partes utrinque stabant oppositis animis;
disceptabant dogmatici, non nisi corporis hu-
mani partes diffecando, abditas atque abſtru-
fas morborum causas exquirendo, et per cer-
ta ratiocinandi principia inde deducta, viam
ad curationem aegrorum patere. Hoc con-
ſtituto, eorum erat explorare rerum princi-
pia, partes quae vocantur componentes hu-
mani corporis, tum fluidae, tum solidae, di-
versarum partium ſitum, fabricam, uſum, at-
que vim, quomodo formentur, crescant, et
per vitam nutriantur, caeteraque omnia quae
intra fines ſuos comprehendit *Physiologia*
quasi perſpicere. Neque minus neceſſarium
ducebatur ad dignoscendos morbos, ut cutis,
ſanguinis, ſecretionum, et viſcerum, ſi quan-
do

do in conspectum venissent, statum morbi-
dum, et quae sit forma et species de sanitate
declinantium non ignorarent; cuius rei
doctrinam et observationem callidam *Patho-*
logiae nomine distinguimus.

Contra Empirici, evidentibus vel proximis
causis morborum accurate observatis, re-
mediis jam usu et experientia probatis vi-
tam et salutem aegrorum committebant;
caetera omnia dogmaticorum incerta natura,
nec plane animo comprehendi posse; si i-
dem quod experientia remedium ratiocina-
tio docuisset, supervacuam esse, si aliud, no-
civam. Ita per plures annos utrinque dis-
ceptabant summi viri. Theoriae fautores,
ut et post Hippocratem inventores, existere
Diocles Carystius, Praxagoras, et Chrysippus.
Ex altera parte, Serapion primus, postea A-
pollonius, Glaucias, et Heraclides Tarentinus,
experientiae patroni. Et cum utrorumque
ratio ad sanitatem aegros perduxit, ut fortu-
na his vel illis magis arrisit, ita suis quem-
que systematibus fortius devinxit.

Nos

Nos quidem, si de tantis litibus judicium ferre liceat, lubenter inter Dogmaticos annumeramur, ut qui experientiam aliorum non recusantes, cum ratiocinatione eam conexam, et cum ipsa natura conjunctam velint; et dum ipsa per se experientia, nullis positis causis, nullis principiis innixa, a brutorum instinctu vix distare videatur, nullum unquam existisse merum Empiricum facile credimus; omnes suas sibi theorias effingere, vel ab aliis effectas adoptare, constat; qua re inducti concludimus, quo infirmiore fundamento eorum nititur ratiocinum, eo futiliorem, eo inertiorem vel periculosiorem praxin evasuram.

Sed ut historiam prosequar; Erasistratus* proximus, intervallo tamen annorum 300 post Hippocratem, dum anatomiae sedulo incubuit, et multa nova dogmata in lucem protulit, artem magnopere promovit; sed venaectionis et purgantium usum abnegavit; adeo timidum in optimis et probatis remedii usurpandis

* A. U. 600. Vid. Plin. 14. 7. et 2. 208.

usurpandis fecerat nimiae abusus theoriae. Ejus aequalis fuit Herophilus, rerum anatomarum et ipse peritus, qui physiologiam et pathologiam valde illustravit; praesertim arteriarum pulsationis naturam investigavit, et remedia insuper efficacia undique collegit Empiricus.

* Asclepiades, post spatium annorum fere 50 eos exceptit medicus eximus, qui theoriam edit subtiliorem ex Lucretii aequalis sui philosophia constructam, et qui Romae artem medicandi exercens, Romanorum moribus et gustui depravato obtemperandum censuit, quos adeo effeminaverat cum artibus immissa luxuries, ut nihil ingratii sive molesti corporibus suis ad moveri vellent; nihil igitur nisi tuto, cito, et jucunde iis profecturus, ex libero vini usu, et ex variis exercitandi modis, gestatione, frictione, aliisque hujusmodi, praxin sibi facilem, aegrotis gratam constituit; quam Themison, caeterique medici ad Galenum secuti sunt, praeter Aretaeum Cappadocem

* A. U. 650. Vid. Apul. Florid. lib. 2. et Plin. 26. 3.

cem et Cornelium Celsum, qui Hippocratis systema revocare maluerunt. Aretaeus morbos apte et accurate describit, et multa medicamenta perutilia proponit; Celsi de re medica libros quis non ja^ctat perlegisse, qui, dum intellectum lectoris experientia oblectat medicus, simul lenocinio verborum aures demulcet orator?

Ita ad * Claudio Galenum pervenit medicina, qui centuriae post Christum natum secundae vixit decus et ornamentum: Experientiam ab omni fonte undeunde haustram accepit, atque omnium sectarum praejudicia cupivit amovere; sed qui tenuis theoriae auctor scientiae nostrae progressum per plurimos annos insciens impedivit: Unde ita Boerhaavius †, “ Ille sparsa colligens, dicens confusa, cunctaque ex peripateticis dogmatibus ad servitutis infamiam usque explicans, emolumenti plurimum, neque minus tamen damni bonae arti attulit; dum auctor fuit ut ex elementis, qualitatibus vulgo dictis

Car-

* A. S. 143. Vid. Voss. Inst. Or. lib. 6,

† Boerh. Inst. Proleg. § 15.

Cardinalibus, harum gradibus, et humoribus quatuor, subtilius quam verius explicaretur medicina.”

Insequentia post Galenum secula obnubilavit Barbarorum lamentabile regnum, quorum agmina immania ex Septentrione irruentia, artes, doctrinam, et doctrinae monumenta penitus deleverunt, et una cum his dilapsum medicinae studium diu jacuit in cultum et incognitum; neque e tenebris excitare valuerunt Hispanorum, Arabum, et Afrorum conamina, qui Galeni rationem, cum Galenicis tamen vitiis instaurare frustra tentaverant. Eorum autem tenues labores, et annales ejus temporis obscuros, lubenter transimus, propitium seculi decimi sexti adventum, et scientiam reducem nobis gratulantes.

* Paracelsus enim, qui, cum rebus chemicis animum diutius applicisset, somnia alchymistarum et spes aureas negligere tandem didicerat, et dum alia quæreret, multa inexpectata deprehenderat, ad praxin medicinae conversus,

conversus, medicamina Galenicis longe valentiora ex chemia prodire docuit, et cum his insperatam salutem multis praebuisset, Galeno se opposuit audax, et libros ejus et Hippocratis flammis dari palam jussit. Cujus partibus cum plures se adjunxissent, *Chemicis* ex eo sectae nomen inditum est, alteri *Galenicis*.

* Post literarum autem studium per Europam redivivum, cum recentioribus philosophiae luminibus a Galileone in Italia, et in Anglia a claro nostro Bacono excogitatae, et mathematicae demonstrationis columnis fultae, vetus Aristotelis systema cessisset, occidit una cum patre suo praxis Galenica; et cum novis experimentis instituendis maxime necessaria habeatur chemia, praesertim cum Galeni acceptam de hepate theoriam revertisset vir eximus Harveyus noster, qui circa hoc tempus sanguinis circuitum, ~~et~~ ~~et~~ ~~et~~ ~~et~~ detegendo et demonstrando, famam sibi immortalem comparavit,

C. *richardsoni* et

* A. S. 1626.

et novam omnino et certam jecerat huic basin scientiae, nulli mirabimur, si chemicos Sylvium, Etmullerum, caeterosque in scholis medicinae dominantes reperiamus.

Hanc quoque aetatem, caeteris Europae regionibus satis propitiam, nostrae autem insulae faustissimam, ornaverunt summi viri Newtonus et Sydenhamus; quorum posterior, missis frivolis scholarum disciplinis, et sectarum vinculis confractis, adfuit magnus naturae minister, et ex factis, exploratis, et fideliter notatis, theoriam firmam et methodum medendi felicissimam sibi conflavit. Et nunc scientiis latius disperfis, et societatibus sub regibus patronis ad hanc rem institutis, adeo flagravit literarum amor, ut ubique omnes, quasi conjuratione facta, naturam nudam exponere, et opera ejus per omnia indagare summopere contenderint. Rebus traditis et aliorum memoriae non amplius credere, singula suis auribus audiri, suis oculis inspicere, excutere, explorare, ignota ex notis concludere, caetera respuere, idem omnibus animus esse. Crevit crescentibus

annis

annis ad nos usque laudabilis ardor, et aetas nostra nulla priorum inferior, cujusque praecedentis effictas theorias versat, perscrutatur, tollit aut deprimit, prout quaeque rationis vel veritatis fulcimentis innixa videatur. Inter haec eximios jactat medicina processus, ex praeclarorum praecipue virorum Willifii, Stahlii, Boerhavii, Hoffmanni, et novissime Culleni nostri laboribus compertos; quorum systemata, quae praestantis auctorum ingenii aeterna monumenta manebunt, singulatim in hoc loco recensere, dissertationem hujusmodi extra fines solitos educeret.

Ex his autem triplicem oeconomiae nostrae animalis naturam distinguere didicimus, *Chemicam*, *Hydraulicam*, *Nervosam*. Prima materiem sive partes componentes humani corporis ex aqua et alio quodam concreto mixtas inspicit. Cohesione, flexibilitate, et elasticitate praeditas monstrat, et spissitatem habentes pro ratione harum diversam. Quae omnia, cum chemica sola analysi dignoscantur, huic systemati *Chemico* nomen dant. Secunda corpus nostrum, quasi vasorum sive tuborum

tuborum fluida ferentium compagem considerat, per quae fluida diversi generis, diverso impetu, et ad varios usus destinata perpetuo moventur, et de quibus functionum nostrarum plurimae omnino pendent; et cum hae actiones juxta hydrostaticas et hydraulicas leges fiant, *Hydraulicum Systema* vocamus. Tertium autem *Nervosum*, corpus nostrum organicum exhibit automaton, et principium inexplicabile sentiendi, movendi, forsitan et nutriendi quoque e cerebri penetralibus deductum, et per totum corpus forma nervorum distributum, docet.

Ita ab incunabulis ad pubertatem (siquidem status iste pubertatis nomen mereatur, ubi quaedam vetusta, quaedam recentiora, quaedam adhuc in infantia, et vix nata reperiantur) medicinam perduxit epitome nostra; casu et naturae nostrae necessitate parentibus, experientia et observatione nutricibus. Videlimus eam cum ignorantia, cum avaritia, cum praejudiciis hominum lucentem; dein cum philosophia arcte connexam, et cum ea perpetuo formam mutantem; ita cessit Hippocrates

pocrates Asclepiadi, Asclepiades Galeno, Galenus Paracelso. Vidimus cum scientiis labefactatis una oppressam, cum his emergentibus una erectam. Tandem clarissimorum virorum laboribus auctae, dilatatae, illustratae, atque ornatae gratulamur.

Accenditur autem animus medici cuiusque futuri historiam legentis, cum in se delatum tantum officium cogitet, cum munus tam grave, tam honestum atque nobile se suscepisse percipiat; et cautus ne quid profitentis culpa dilabatur medicinae, ardet priorum aemulus, et ad optima quaeque molenda impellitur; alit enim ingenia aemulatio, quorum viribus inter se conflictantibus, ignea illa vis animi extunditur, cui nihil difficile occurrit, quod non facile pertinaci opera et studio reddatur, nihil inexploratum sagaciter investiganti relinquitur.

Ad secundam propositi nostri partem jam progredimur; nempe ut disciplinam medicam, et quocunque ad artem recte excolendam et feliciter exercendam necesse habeatur, breviter exponamus.

Postulat

Postulat imprimis ars nostra *linguarum* peritiam *Gallicae* et *Latinae*. *Gallicam* qui nescit, praestantissimorum auctorum observationum, experientiae, et solertium systematum inscius ibit ; cui vero lingua *Latina* defit, desunt omnia ad legendum, loquendum, scribendum necessaria. *Graecas* praeterea literas medicis futuris tanquam plurimum utiles magnopere commendamus ; his scilicet instructi, Hippocratem nostrum, quando sua forma indutus luceat, quando imperitorum interpretum fuko polluatur, distinguimus ; hinc nomina morborum per nosologias methodicas depictorum, et quorum pleraque ex *Graecis* derivantur, facilius intelligimus et melius retinemus. Ex hac denique lingua dulcis eloquii fonte et origine, nostris idiotismis abundante, et vernaculae nostrae affini adeo et propinqua, orationem comptam discimus et ore venusto loqui ; viri ornati et a plebe disjuncti decus proculdu-
bio et discrimen maximum.

Proximum locum artem inituro *Philoso-
phia* sibi vindicat, quam cum nos per naturae
leges

leges dicit, quibus cuncti regimur, et ad quas corpora nostra fabricata sunt, quantum nobis expediat scire, nemo non agnoscat. Ita *Mechanicam* ignorare erubescet, si quis Boerhaavii de hac re sententiam perlegat : “Corpus humanum, inquit, conflatum ex fluidis et firmis docet anatome. Firma sunt, aut vasa coercentia humores, aut instrumenta sic facta, figurata, et connexa, ut ex singulari hac fabrica determinati quidam motus exerceri queant, si causa movens accedat. Deprehenduntur enim ibidem fulcimenta, columnae, trabes, propugnacula, tegumenta, hypomochlia, cunei, vectes, trochleae determinantes, chordae, praela, folles, cribra, filtra, canales, alvei, receptacula : Facultas exercendi hos motus per illa instrumenta functio dicitur quae lege *Mechanica* fit, et per eam tantum explicari potest.”

Nec melius quam ex ejusdem praecclari viri verbis *Hydrostaticae* usum illustrari posse putamus : “Fluidae partes intra firmas continentur, moventur, in motu determinantur, miscentur, separantur, mutantur, vasa cum

nexus

nexus instrumentis movent, horum parietes atterunt, mutant, restituunt; fiunt hae actiones juxta leges *Hydrostaticas*, *Hydraulicas*, et *Mechanicas*, ideoque et juxta has ultimo exponi debent; ita tamen ut accuratissima primo ratio habeatur uniuscujuisque humoris, quoad singularem illi indolem, et hinc unice pendentes actiones ejus, prout per omne genu experimentorum innotescere possit."

Oculi autem structura et morbi, visionis doctrina, lucis natura et proprietates, ex *opticis* solum principiis recte intelligenda sunt.

Aëris quoque proprietatum observatio, et quomodo corpora, tum viva tum exanima, ex ejus calore, madore, vel siccitate afficiantur, in morbis epidemicis investigandis multum juvabit.

Nec philosopho desit philosophiae suae utilis ministra *rerum naturalium Notitia*, saltem quantum ad aërem, fossilia, vegetabilia, et animalia, quorum alia in aliis terrae regionibus gignuntur, pertineat.

His, quasi praeparato penu, scientiis instructum,

structum, et ad medicinae marginem jam progressum tyronem, priusquam ad ea, quae proprius artem attingunt, accingatur, duo ut praecipue caveat, monemus, quid legat, et quomodo legat. Cum enim tot et tantos libros de singulis medicinae partibus conscriptos videat, quibus vel percurrentis solum vita non sufficiat, ut ex scriptoribus optimos, et ex scriptis optima quaeque feligat, et plurima minus utilia transeat, expertorum ope et consilio maxime opus est. Caveat quoque ne solus aggrediens systemata devius erret. Ad haec paulatim fit et gradatim accessus, nec nisi per semitam quasi unciatim exploratam, ad intima et minutias pervenire licet. Quod si quid inter eundum vel falso concipiatur, vel male intelligatur, corruet fundamento carens quodcumque superstruitur. Falso scilicet usum et actiones earum partium ut exponamus necesse est, quarum situm et conspectum externum aut nescimus, aut leviter notavimus. Frustra ventriculi digestionem ex tunicis ejus variis et strutura explicare conabimur, si oricia ejus et

inter se situm negleximus observare. Frustra cordis fibrarum cursus varios nos exquisisse jactabimus, si positionem ejus in thorace, et angulos quibus exeunt vasa sanguifera, nos adhuc ignorare fateamur.

Inter prima studioſo dulcedine sua *Botanice*, coniunctis dulcedinis et majoris utilitatis notis, ſeſe commendat *Chemia*. Prior docet herbas diſtinguere, et in clafſes, ordines, et genera diſponere. *Chemia* caloris et miſturae in corpora actiones et effectus monſtrat. Ope ignis quoque, chemiae ministri primarii, ſingulas corporum partes fejungere, et fejunctas ſingulatim perſcrutari valemus; hinc quoque ſystematis humani ſcientiam attingimus, humorum nempe ſanorum atque morbidorum, cibi, potus, medicamentorum, et venenorum naturam intimam, et ſaepius, ex his indiciis, noxiis eorum principiis obviam eundi copia datur.

Ab his deinceps ad *Artem Medicamentariam* dicitur, unde medicamina praeparare, colligere, componere, conſervare, pura ab impuris, genuina ab adulteratis dignoscere,
vires

vires denique et virtutes, modum operandi et effectus eorum omnium quae *Materiam Medicam* conficiunt, et quae morbos sanandi instrumenta nostra adflunt, scire docetur.

Caeterarum omnium medicinae partium basis et fundamentum exstat *Anatomia*, quam cadavera mortuorum plura diffecando solum discere possumus, et quae quomodo ad praxin applicetur ita optime docuit clarus Monrovius noster: Corporibus nostris vires suppeditat, quibus obstat injuriis, vel organorum functiones temperando, vel morbida ulla nociva ingesta medicamentis expellendo; nam, nisi fabricam, situm, et compositionem partium diversarum; arteriarum nervorumque divaricationes, quam acuto sensu singulae praeditae sint, et quatenus ex aliorum organorum intemperie, sympathetice possint affici, probe noverit, neque ex symptomatibus genus morbi distinguere, neque tutam vel probabilem curandi indicationem proferre valebit. *Chirurgi* autem officium, vivorum corporum partes morbidas difficare, luxata membra reducere, fracta connectere,

ne-

necessitatem et intimam connexionem artis suae cum anatomia clare probat.

Proxime ad *Physiologiae* studium accingatur juvenis ; quae sani corporis speciem, structuram pulchram, usum liberum, agendi facultatem omnium partium plenam et perfectam, aetate tamen, sexu, temperamento, aliisque diversis longe a se invicem variantium, exhibet ; de qua, quasi comparatione facta, deflectit in *Pathologiam*, ubi speciem morbidam, functiones laefas et impeditas, morborum causas remotas proximasque et symptomata discernit ; hinc ad *Praxin* et *Clinica* tandem accedit, ubi morbos per stadia ad finem prosequitur, rationem symptomatum explorat, diagnosin discit et prognosin, et ex indicationibus curae rite notatis, ad medendi rationem instituendam, tanquam ad finem studiorum, manu dicitur.

Tyrocinio ita permeato, sola videtur, ut medicus perficiatur, deesse experientia. Progreditur ergo ad lectos aegrotantium alacer et elatus, fide ac auctoritate magistrorum fretus, theorias eorum, caeteraque quaecunque

que didicerit, quasi ab omni parte paratus
prae manibus ferens, et nullus dubitat, quin
statim adventu suo cedat morbus et tactu a-
volet. Ubi vero finem studiorum, ibi labo-
rum initium reperit, et brevi intelligit quan-
ta de spe deciderit. Morbos videt novos,
antea inauditos, multis aliorum indiciis im-
plicatos; his item novis, et quorum vel na-
turam vel causas nulla inductione queat af-
sequi: Videt symptomata notis remediis
non amovenda, contraria et incerta omnia,
aegrum autem in pejora abeuntem, et dum
ipse haereat in medio dubius, tandem mori-
entem. Hinc paulatim diffidere de traditis,
aliorum praecepta et opiniones caute et cunc-
tanter accipere, suoque omnia, id quod me-
dicum praecipue decet, judicio subjicere dif-
cit.

Jure primus ad salutem gradus habetur,
ut morbos alios ab aliis accurate sejunga-
mus; cum autem ex symptomatibus varian-
tibus et ambiguis, tanta morborum diversitas
oriatur, cum contra, ex symptomatibus inter
se simillimis, absimiles saepe morbi nascan-
tur,

tur, quibus curandis nulla valet annorum experientia, fieri non potest, quin ad conjecturam aliquando confugiendum sit. Hic maxime deliberatione, signorum inter se comparatione, consilio opus est; sin autem anatomia, physiologia, aliaeque de quibus supra mentionem fecimus disciplinae, per quas solas efficitur ut deliberare, comparare, recteque consulere possimus, absint, caeci et praecipites in errorem abducimur; nec ulla longius quam hac re veros medicos ab Empiricis distare credimus. Optimus saepe medicus fuit, qui felicissime conjectavit; illa autem temeraria, inepta, et infelix evadet conjectura, quae medicorum innititur nullis institutis: Igitur ab hoc loco non alienum videtur, ut Empiricorum hallucinationes, ex mala institutione orientes, paucis exemplis notemus.

Adfunt aegro signa, quae nephritidem indicant, qualis a Culleno describitur. Renis autem inflammatio vel idiopathica est, vel symptomatica; prior spontanea, posterior a corpusculo quodam arenoso e renibus in vesicam

ficam per ureteres decidenti, quam maxime oritur; haec vera Nephritis, illa calculosa vocatur: Utraque indicia habet fere eadem, viam medendi diversam poscit; et ne inter se confundantur, maximi est momenti. Dum autem de exquisite observatis pendeat distinctio, temperamento, dispositione arthritica, praeeuntibus ventriculi affectibus, dolore continuo, febre cum dolore una accidente, aliisque minutis, quas Empirici judicio nequaquam competit intelligere, non mirum est, si in facilem errorem dilabatur.

Aliud exemplum ex febre synocho trahimus, quam “ Morbum contagiosum; febrem ex synocha et typho compositam, initio synocham, progressu et versus finem typhum” esse ex eodem optimo Nosologo discimus. Huc advocatus Empiricus, nisi constitutione aëris epidemica, aliisque, quae una existunt, rebus, sedulo in animo volutis, ad eventum prospiciat, pyrexiae indiciis respondere properat, et nimis praecepiti manu vena secta, et largiore copia sanguinis deducta, postea fit, ut, superveniente typho,
vires

vires jam exhaustas et nimis imminutas revocare nullo conamine valebit.

In inumeros hujusmodi errores incidunt anatomiae imperiti, qui sedes morborum visceralium, praesertim phlegmasiarum, alias pro aliis sumunt, commiscent, et auxilium prave ministrant, et qui ventriculi affectiones symptomaticas cum idiopathicis confundunt, dum viscus illud, quomodo cum ceteris fere omnibus humani corporis organis per nervos communicatur, ignorant. Ita plurimorum vitae dispendio immeritum decus arti inferunt, fortuita paucorum salute sibi famam et turpe lucrum accumulant.

Praeactis jam omnibus quaecunque visa sunt ad scientiam et doctrinam medicorum spectare, ut rerum ordinem propositum exemplamus, de moribus eorum atque officio erga se, erga aegros, et externa differendum restat, novissimus nobis et gratissimus labor; nam, quanquam minime assentiamur iis, qui facile obsequium et ingenium versatile, etiam ipsa doctrina magis necessaria medico esse

esse volunt, tamen humanitatem animi cultam, morumque comitatem, artis nostrae primariam administram atque decus optimum; quae peritorum conatibus vim addit et effectum, et sine qua auxilium ferre indigentibus frustra cupimus, quibus ea, quae saluti profunt, durius persuadentur, solerter depingere, et luminibus orationis illustrare, magnae pretium curae judicamus.

Rem arduam et molestam capessit quisquis medici officio rite perfungi molitur. Aliarum artium professores sani cum sanis, pares cum paribus versantur. Nobis cum infirmitatibus, pervicaciis, animisque hominum exulceratis commercium est. Inter aegrotos perpetuo occupari; aegritudini, doloribus, et animis eorum fractis indefinenter interesse; consilio, spe, solatio, fovere, erigere, confirmare depresso; interdum etiam ingratum ineluctabilis fati nuncium, mortem molliter et amice innuere imminentem, triste nostrum ac difficile officium est.

Sed quoniam plerique in mores eorum quibus vitam ac salutem confidunt, tam ex-

ternos quam internos inspiciunt, tum eam quoque ob causam maxime, quod animi mores motusque corporis plerumque temperiem sequantur, priusquam ad animi dotes delineandas veniamus, de levioribus corporis et vestitus curis breviter dicendum est. Nec inepta haec aut notatu indigna reputemus, quae philosophis Socrati et Aristoteli, medicis Galeno et Hippocrati, magnae curae fuisse; quos valde probamus praecipientes, corpus, quasi velamentum animi, comi et coli debere, sed forma, ut viros decet, neglecta, et absque muliebri molimine; sanum servari et validum laboribus ferendis, et ad munera sua diu noctuque obeunda paratum. Temperantia quoque ac sobrietate uti, quo animi vires in rebus arduis et improvisis acres valentesque praestent; omnino enim certum esse, memoriam, ingenium, judicium, quibus ante omnia pollere medicum oportet, plurimum virium aut languoris a nobis capere. Dederit memoriam natura tenacissimam, non retinet qui assiduo mero madet: Ingenium perspicacissimum quam caligat ciborum

borum nebulis involutum! judicium acerri-
mum quam obtunditur, quibus edere et bi-
bere vivere est. Vestem probant mundam
et elegantem, quam pauperes non suspiciant,
non despiciant divites. Bonum medicum
Hippocrates cognoscere docet, ex “vestitu et
ejusdem elegantia ac frugalitate, non ad su-
perfluitatem comparata, sed ad bonam potius
existimationem, tum eruditionis, tum virtu-
tis, et ad peregrinationem.” Ab Hippocra-
tis autem sententia de hac re dissentimus,
quod nolumus medicos ulla sibi propria
veste ab aliis discriminari; praeter eos qui-
bus togam, honestum virtutis praemium, so-
cietatis suae leges induant: Sub assumptis
vestimentis latent imperiti, improbi, vetera-
tores, infidiosi: Quod si locorum mores
vestem peculiarem postulant, ibi obtempe-
randum est; magnae tamen laudi esse duci-
mus, si quis ineptam consuetudinem adimat,
quippe doctrinae et eruditioni profitentium,
progressui et dignitati artis male consulatur,
quae respectui et ludibrio necessario habeat,

tur,

tur, si ea, quae ad hanc necessaria sunt, ex opera Sartoris petenda sint.

Animus praefens et vultus compositus inter primas medici artes ponendi sunt. Primo adventu ad lectum aegroti, oculi omnium, quasi oraculum petentes, in medicum conversi vultum ejus contemplantur, explorant, perscrutantur; et ipse aeger, quasi vitam sibi vel interitum auguraturus inspicit. Qui si placidus et laetus exhibeatur, in spem salutis erigitur; si gravis et severus, contremiscit, incertique timore mali succumbit; et si animum a rebus incertis, insperatis, aut subitaneis turbari aut commoveri sinamus, vel periculi aegrotantis, vel timiditatis aut imperitiae nostrae opinionem praebemus: Tanti refert, ut animi tranquilli, orisque sereni atque a mente alieni, fraude innocua utamur.

Fiduciam aegrotantis et amicorum conciliare proxima cura sit, quod humanitate, obsequio, et lenitate certissime efficitur. Raro fit, quod maxime optandum est, ut medicorum praescriptis accurate obtemperetur; non

tamen

tamen cum pervicacia et protervitate aegrotum luctandum est, sed potius morigerandum; ne asperitate nostra et inepta ira perterriti tegant et occultant ea, quae nos oportet scire, unde, amissa fiducia, falsa veri specie decipimur.

Clara inter alias virtutes elucescat humanitas, mollior ista sentiendi facultas, qua imbuti dolores hominum et curas participare videmur, atque ad opem ferendam maxime impellimur, qua voluntatem favoremque omnium arripimus, et gratia valentes nihil de nobis nisi salutiferum sperari finimus. Quinetiam in pauperes faciles et benefici simus; neque unquam contra miseras eorum animus indurescat. Qui duplici paupertatis ac morborum onere premuntur, misericordiam a nobis et opem optimo jure poscunt, et grati tanquam a Deo proveniens auxilium accipiunt: “Nihil est enim tam populare quam bonitas, nulla de virtutibus nostris nec gravior nec admirabilior misericordia est; homines enim ad Deos nulla re proprius accedunt, quam salutem hominibus dando; nihil habet nec

nec fortuna nostra majus quam ut possimus,
nec natura nostra melius, quam ut velimus,
conservare quamplurimos *.”

Arctissimo quoque probitatis, fidei, et altissimi silentii vinculo tenemur. Dantur nobis occasiones plurimae domesticam multorum vitam moresque intimos inspiciendi, qui multa medici oculo incauti et securi fidunt, quae tamen foras promulgari, aut in publicum adduci valde nolunt: Si igitur ea, quae aut ipsi observavimus, aut gratus convalescentis animus vitae conservatori de pleno pectore commisit; si in penetralia domorum ac gynaecaea admissi, mulierum infirmitates quas amabilis ille suus dulcisque pudor vulgari vetat, turpiter exponamus, si mollia illa tempora fandi, quae plurima nobis objiciuntur, ad iniqua molienda usurpemus, indigni fidei commissae proditores in meritum dedecus abimus.

Nunquam autem de memoria medici dilabatur quam fragilis et fallax sit, quam erroribus

* Cic. Orat. pro Lig. ad finem.

roribus abundet mens humana. Nemini mortalium omnibus horis ingenium aequa-
rimum, aequa perspicax; nemo tam sa-
gax, qui non erret; nemo tam oculatus, qui
non interdum titubet. Hinc modeste de se
sentire discat; discat sibi diffidere, atque o-
missa omni arrogantia et nimia suae peritiae
opinione, nullius consilium fastidiosus abne-
get, sed ita secum semper reputet, se officium
aegrotanti debitum nequaquam praestitum,
nisi remedia ab aliis proposita, quaecunque
ad salutem ejus profectura videantur, audiat
et animo volvat candidus; quae probabili-
tate se commendant, accipiat, contraria ve-
nusté et data causa respuat.

Hujusmodi medicorum inter se inconci-
nitate ac inimicitiis inde natis progressus ar-
tis maxime impeditus est. De sententiis et
aestimatione hominum adeo pendet lucrum
profitentium, ut aegre ferentibus eos, qui que-
stui vel famae suae obesse videantur, carpere,
calumniari, obloquio obruere astutum et ava-
rum consilium fuerit.

Adfunt

Adfunt nobis ista differentibus magnorum* virorum auctoritas et probantium voces ; inter quos medici mores apte adeo et nervose recensuit clarus Franaquerorum Professor †, ut rem gratam lectoribus fore arbitremur, si ipsius eximii viri verbis praecepta claudamus : “ Hoc vero, inquit, valde stude, ut modestus vobis sit incessus ac probus vultus, et conveniens prudenti viro, non tantum medico gestus. Atque ista facilem apud omnes accessum parabunt, quem virtute deinde vestra promovete, non in favorem solum sed amorem ; qui fons est et causa fiduciae illius aegrorum in medicos, cui comparandae tantopere connitendum hortatur in prognosticis Hippocrates.” Omnino enim plures curat, cui plures fidunt. Et huic gratia major est et merces. Ut vero opinionem fibi et auctoritatem concilient medici, non tantum promptitudinem adferre ad medendum et studium oportet, sed animadvertere insuper, ut ex illiusdem divini senis monito, animo

* Vander Linden, Hippolytus, Gregory.

† Joan. Antonid. Vand. Linden.

animo fint, et circa omnem vitam probe compositi. Bonis ac honestis moribus, et gravibus et humanis, et ad quorumcunque conversationem justi ac temperati; difficultum tamen difficiles, quanquam sui similium solertes ac familiares. Graves repugnantes, sed in respondendo tolerantes, prompti, acuti, nihil absque demonstratione proferentes; pura oratione utentes, gratiis delibuti, et pro gloria ex his orta depugnantes; animorum tamen et errorum purgationem exacta demonstratione provenientem veritatis studio lubenter admittentes. In exspectanda occasione patientes, in cognoscenda prudentes, in arripienda praesentes. Nusquam tumidi, nusquam timidi, sed ad perspiciendas res necessarias prompti, et ad exequendas bene consideratas strenui. Praeterea sobrii, continentes, liberales, veraces, fideles, et qui pietatem toto animo et mente diligent, promant, asserant, tanquam virtutum principem, et sine qua nemo vere modestus aut honestus unquam erit. Atque istis quidem dotibus

quisquis instructus ornatusque fuerit, satis arti nostrae aptum fore nemo negaverit.”

Ea quae proposuimus de officio medici jam breviter diximus. Qui plura desiderat, plenam Gregorii nostri paginam vertat, qui optima harum rerum argumenta dulci calamo exhausit. Illius erat, quicquid eruditus, honesti, humani, atque misericordis hominum naturam ornat, monitis et exemplo illustrare. Illum recens omnium luctus meminit vixisse, dum vixit, suorum delicias, decus patriae; nobis, eheu! sero advenientibus, fatum, academiae nostrae gloriae et nominis invidum, immaturo nimis ictu praeripuerat.

Jamque lectores per historiam, instituta, officia, moresque medicorum ad finem perfectos, ista praecipue ex praedictis intelligere volumus. Ex historia quanta medicinae procedenti impedimenta injecta sunt; e ceteris, quibus modis amoveri possint; ex illa ignorantiam, avaritiam, et invidiam exercentium maximas illi moras fuisse invenient. Ignorantiam vero indefessis recentiorum laboribus indies cedentem videbunt; medici-

nae

nae studium, exploratis anatomiae, physiologiae, pathologiae arcanis, addita nosologia, aliisque praeclaris inventis provectum, auctum, stabilitum; majora denique et ulteriora cunctinum diem perpetuo spondentem. Utinam ex officio rite facto, moribusque temperatis, avaritiam quoque et invidiam excessuras augurari liceret; utinam, missis tandem litibus et jurgiis indecoris, cuncti uno animo collatoque conamine ad ultimum, optimum, solumque se dignum finem studiorum prospicientes, eo demum tenderent, ut doctrina et artibus inter se certando, fideliter observando, libere communicando, natu-ram sequendo, et veras ejus operationes asse-qui nitendo, vitam et salutem quamplurimis darent. Ita tandem foret, ut quo gravior salus doloribus, quo carior sanitas morbis, eo excelsior, eo caeteris artibus praestantior, propria luce nitens, exfurget *Medicina*.

